



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Vitae Sanctorvm**

**Lippeloo, Zacharias**

**Coloniae Agrippinæ, 1603**

Historia Brevis S. Narcisci Episcopi Hierosolymitani: Ex Ecclesiasticæ  
Historiæ Eusebij Cæsareensis lib. 6. cap. 8. & 9. Fuit hic tricesimus eius  
Sedis Episcopus: Claruit sub Seuero & Succeß. Impp. ...

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42787**

sto iam sacro velamine consecrata, beatissimi viri tentationem ab inuido & maligno dæmone illi iniectam extinxerit. Cum enim die quodam amoris eius & pulchritudinis recordaretur, misso confestim nuncio eam accersiri curauit, ut cupitis eius amplexibus frueretur. At illa semel iterumq; vocata venire renuit: tertio verò accita cum sancti viri animum pertinacem sentiret, ut & suæ & illius pudicitia consuleret, depositis vestibus, quæ cultiores videri poterant, & tonsis capillis, horrido se cilicio induit, eaque deformitate viro se visendam obtulit. Ille verò tali eam habitu & specie contemplatus, vehementer exhorruit, dolensque se eatenus tentationi cessisse, ab illicito se opere reuocauit. Fuit autem vir beatus in ea dignitatis administratione à Clotario Rege ad Childericum vsque annis 66: sicque post multos labores migravit ad Dominum lugente Meldensi ecclesia, Angelis verò lætantibus, eiusque virtutibus in gloria miraculorum præclarè coruscantibus.

*En vt tentationem sancti viri eius quondam vxor extinxerit.*

*Felix obitus eius.*

*Tumulus eius in miraculis clarus.*

*Vide Tom.*

*2. Annal. C.*

*Baron. &*

*Notat. ad*

*Martyr.*

*Roman.*

#### HISTORIA BREVIS S. NARCISCI

*Episcopi Hierosolymitani: Ex Ecclesiastica Historia Eusebii Casareensis lib. 6: cap. 8. & 9. Fuit hic tricesimus eius Sedis Episcopus: Claruit sub Seuero & Success. Impp. anno Christi 198, & sequentibus.*

29. Octob.

**P**RAETER multas alias res admirabiles in Ecclesia gestas à Narcisco, referunt hoc ab eo editum miraculum. In magna & solenni Paschatis vigilia, cum oleum diaconis & Ecclesiae ministris deesset, & grauis quæ-

A a

dam-

*Præclarum  
Miraculum.*

dam ægritudo & animi demissio vniuersam multitudinē occuparet; ferunt Narcissum his, qui luminaria aptabant, præcepisse; vt aqua è proximo puteo haustam ad ipsum perferrent. Quo absq; mora peracto, fusa super aqua oratione, mandauit, vt cum vera & constanti in Dominum fide, eam in luminariū vasa infunderent. Quod vbi fecerant, contrā omnem rationē, incredibili quadā & diuina virtute, naturam aquæ in olei repētē commutatam viderunt. Pleraque item alia memoria quidem digna, de vita istius viri commemorant, in quibus eiusmodi quiddam traditum est.

*En trium vi-  
rorum exe-  
crandam  
peruersitatē.*

Cum quidā perditī homunciones grauem & feuerā eam rationē, qua in hominibus, tum admonendis, tū in eorū vitijs corrigendis vi cōsuevit, neutiquā ferre possent; præ metu, ne tādē debitas scelerum suorū, quibus obstricti erāt, pœnas luerent, cœperunt contra eū confutis dolis conspirare, & turpē quandam criminationis calumniam in eum conijcere; deinde quo magis auditoribus criminationis falso obiectæ fidem facerent, eam iureiurando confirmare: atque hoc modo deierare. Primus, si, inquit, non verē dixerim, opto vt ignis incendio miserē dispeream. Alter: Si non verē dixerim, opto, vt fœdo ac sæuo morbo corpus absumatur. Tertius verò: Opto, inquit, si falsā dixerim, vt luminib<sup>9</sup> penitus orbatus sim. Verū quāuis nemo fidelīū propter nobilitatem & testatā inter omnes omninō Narcisci castimoniam, illis vel grauiſſimo iureiurando se obstringentibus, animum aut fidem adhibuerit, ille ipse tamen partim præ indignatione obie-

Et cri-

*Fugit in ere-  
mum S. Nar-  
cissus.*

Et criminationis, partim præ cupiditate vitæ  
in sapientiæ ac virtutis studio degendæ, quam  
sæpe optauerat, ab oculis vniuersæ multitu-  
dinis se penitus remouit, & in solitudine lo-  
cisque desertis ad multorum annorum spatiū  
vitam transegit. Verum sublimis ille diuinæ  
iustitiæ ultionisq̄ue obtutus, his sceleribus pa-  
tratis, minimè acquieuit: sed quam celerrimè  
impios illos & nequam homines grauibus ca-  
lamitatibus oppressit.

Primus enim illorū, perexigua scintilla in  
ædes eius subito ruente, cum tota familia &  
stirpe rapido flammæ ardore omnino con-  
flagrauit. Alterius corpus eodem morbo, quam  
sibi tanquam multam fore imprecatus esset,  
ab extremis pedum digitis ad caput vsq̄ue in-  
fectum, contabuit. Tertius, ærumnosis priorū  
euentibus admonitus, ineuitabilem Dei ultio-  
nem admodum reformidans, palam malefica  
sua sociorumq̄ue contra Narcissum admissa,  
confessus est; ac tantis deindè tamq̄ue acerbis  
se lamentis afflictauit, & vsq̄ue eò lachrymas  
effundere non destitit, quoad vtrumq̄ue oculū  
sibi penitus extinxisset. Atque hi pro ea crimi-  
natione, falsò contra Narcissum conficta, tales  
pœnas persoluerunt.

*Periurorum  
terribilis  
vindicta.*

Porro cū incognitū esset vbinā Narcissus in  
abditis siluarū recessibus delitesceret, his, qui  
finitimis Ecclesijs præerant, visum fuit alium  
in eius locum antistitē subrogare. Dius igitur  
(hoc enim ei nomen erat) delectus est; cui non  
longo tēpore Ecclesiā gubernāri successit Ger-  
manion: quo mortuo Gordius episcopatū oc-  
cupat. Cuius temporibus Narcissus, tanquam

*Redit ad e-  
piscopatum.*

A 2 2

ex mor-

ex mortuis ad vitam denuò reuocatus, à fratri-  
bus ad intermissa Ecclesiæ gubernacula susci-  
pienda rogatus est. Et cum nò amplius propter  
ingrauescentem ætatē ministerio præesse pos-  
set, Alexander vt cum ipso in fungendo eccle-  
siæ ministerio coniungeretur, accersitus est.  
Vixit autem S. Narcissus annos centum, & am-  
plius sedecim; multisque virtutibus clarus mi-  
grauit ad Dominum.

*Ætas ad-  
modum grã-  
deua.*

VITA S. ERMELENDIS VIRGINIS,

*in \* Villa Meldariensi quiescentis, in finibus  
Brabantia: Ex ea quæ est apud V. P. Lan. Sur.*

*\* Insula  
Vide Iohan.  
Molan. in  
Indic. SS.  
Belgij.  
29. Octob.  
Parentes eum.*

*Renunciat  
mundo ca-  
pillis præci-  
sis.*

*a Odenca  
propè Loua-  
nium, vulgò  
Ter Dunck.  
b Beuecum.*

**B**EATA virgo Ermelendis patre Erme-  
noldo & Ermensende matre, tam genere  
quàm diuitijs spectabilibus, nata; primos  
adolescenciæ suæ annos Christo consecrasse  
memoratur. Cum siquidem parentes eam ad  
suscipienda matrimonij vincula importunius  
vrgerent, illa iam duodensis se virginitatem  
suam cælesti sponso deuouisse asserens, arre-  
pro ferro capillos per laeteâ ceruicé dependē-  
tes præscidit, relictoq; sæculo, omnibus pòpis  
eius còstantissima animi virtute calcatis, Chri-  
stum per arctam & angustam viam secuta est.  
Tradiderant illi parentes redditus cuiusdã vil-  
læ, <sup>a</sup>Odenca nomine; sed illa, relicta domo, re-  
bulq; parentũ postpositis, solitaria ad quandã  
peruenit <sup>b</sup>villam, cui duo germani præerant,  
fratres, primo iuuentutis flore vernantes, &  
sæculi vanitatibus atq; illecebris studiosè ser-  
uientes. Ibi venerabilis virgo cū diebus ac no-  
ctibus sedulò nudis pedibus ecclesiam frequen-  
taret, totamque sese Domino in holocaustum  
offer-